

ad curandos morbos ostendit (§. 28.), sed multitudine copiosorum medicamentorum frustra confident.

§. 52. Abunde igitur demonstratum est tam per experientiam quam per rationem, quale nam detrimentum copia medicamentorum et remediorum misericordis aegrotantibus inferat (§. 51.) atque horum ea, quae vel frustra, vel perniciose consumuntur, neutiquam vero pro emolumento, et maxime in vigore morborum difficultum. Si quis vero revalescentem corroborare velit, & medicamentis ei vires immittere & incassum & in noxam utique laborabit: calidiora enim medicamenta et adstringentia in usum exhibens, adstringet & calefaciet nimis: corroborantium enim medicamentorum talis est indeoles. Corroborare igitur illum volens, plus debilitabit, ut unicuique, qui periculum facit, manifestum est: excessus enim morbum, minime autem vires parit (§. 48.). Quidquid vero moderatum est, id et naturae amicum; quod per victum magis acquirendum est: ex victu enim solo bonus humorum habitus provenit. Is vero quosdam quidem humorum quodammodo alterat, depravatam antea illorum mixtionem temperans,